

**De colchico autumnali : dissertatio inauguralis medica ... / auctor Ludov.  
Alb. Christ. Creutz.**

**Contributors**

Creutz, Ludwig Christoph Albert, 1794-  
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Berolini : Lit. Augusti Petschii, 1826.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/qu42wb49>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

J. X  
DE

# COLCHICO AUTUMNALI.

DISSERTATIO  
INAUGURALIS MEDICA,  
QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS  
IN  
UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI,  
UT SUMMI  
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES  
RITE SIBI CONCEDANTUR,  
*DIE VII. M. JANUARII A. MDCCCXXVI.*

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENSURUS EST  
AUCTOR  
*LUDOV. ALB. CHRIST. CREUTZ,*  
ROTHENBURGENSIS.

---

OPPONENTIBUS :

*F. BRANDT, MED. ET CHIR. DDR.*  
*A. MUEHLMANN, MED. ET CHIR. DR.*  
*C. GEISLER, MED. CAND.*

---

BEROLINI,  
LITERIS AUGUSTI PETSCHIL.

# COLGHCICO AUTUMNALL

D I S E R T A T I O

THEATRUS MEDIC

1679

C O M M U N I T Y T H E O R Y  
C O L G H C I C O D R O I D S

A M A Z O N I A A M A Z O N I A E T T I P A T C

E T C O M M U N I T Y

E T C H I C H I C A H O Z O R S  
A M A Z O N I A E T C H I C H I C A H O Z O R S

A M A Z O N I A A M A Z O N I A A M A Z O N I A

N L F H

F I R S T E D I S E R T A T I O

A U T U M N

A U D O N A M E C U R R S T C E R U S

BY JAMES COLEMAN

—O P B O X E / S T H I N G S ;

—A M A Z O N I A T H E O R Y A M A Z O N I A  
—A M A Z O N I A T H E O R Y A M A Z O N I A  
—A M A Z O N I A T H E O R Y A M A Z O N I A

—C E R S V A R W E D E R

—D I S E R T A T I O

—T H E A T R U S M E D I C I N E

*C. C. SCHRADERO,*

COLLEGII MEDICINALIS ASSESSORI SUPREMO

PRAECEPTORI AESTUMATISSIMO.

СЕЧЕНДАЯ О

СОЛНЦЕВОДЫИ СВЯТОГО АЛЕКСАНДРА НЕВСКОГО

ОКЛАДКА МУСТИСА ЕТ ПУТЕВОДИТЕЛЬ

*AVUNCULO MUNICIPII SALTICENSIS*  
**F. U N G E R O,**

REI MONETARIAE PRAEFECTO,

*PRIOR MUNICIPII SALTICENSIS*  
**A V U N C U L O C A R I S S I M O,**

.D .D .D

VIRIS SUMME VENERANDIS

PIEQUE GOLENDIS,

PRIMITIAS LITERARUM HASCE

D. D. D.

AUCTOR.

**C**olchicum autumnale planta est classis hexandriae trigyniae Linnei et Colchicearum Jussieu. Huic plantae illud nomen inditum est a Colchide, Asiae regione, ubi teste Dioscoride plurimum crescit, et cum sub finem autumni florem suum edat, autumnale appellatur, unde quoque nominibus! autumni praeco, decus autumnale, insignitur. Enascitur haec planta in Asia occidentali et in Europa australi, in Italia nempe, Hispania, Helvetia, Gallia, Anglia, Germania. Boreales terras vero, ut Sueciam Norvegiamque, fugit. Floret ineunte autumno absque foliis, fructum ferens subsequentे vere foliaque.

Radix hujus plantae bulbosa est, unum duosve pollices sub terra latitat, altero latere convexa, altero plana est et instructa crena, cuius figura dimidium cylindri refert, cuticula fusca obducta, caeterum alba. In pagina inferiori paucas fibrillas ex macula rotunda et ex memorata crena caulem, vagina fusca velatum, et autumno adhuc sub terra reconditum fructum cum foliorum rudimentis emittit. Ratio bulbi pro anni tempore vario valde differt tunc quoad compagem

quam magnitudinem. Radix si effoditur vere, e. c. medio Majo: bulbus, qui praeterito scapum fructiferum gessit et autumno florem protulit, marcidus et corrugatus conspicitur, alter vero, qui folia jam sustinet, una cum pericarpiis succosus et infra fibris instructus cernitur, et latere opposito bulbulus sulco immersus praesto est, floribus autumno ferendis destinatus. Folia tria vel quatuor satis lata, plana et media inter lanceae figuram et ovatam, crassa, laevia sunt. Majo et Junio prodeunt fructumque maturoscensem includunt. Flores ex ipsa radice enati, ex unica membrana cohaerente compositi, nullo exteriori tegumento, si exceperis exiguum, marcescentem, tenuissimam, albidae vaginam inclusi, penitus albi et rubentibus lineis picti aut purpurascentes longo, dorstantali non raro, perangusto tubo constant, qui denique dilatus in sex ovata alternatim majora et minora segmenta finditur. Duobus vel tribus diebus elapsis flores jam macrescunt et dilabuntur.

Stamina alterna breviora, ex lato segmentorum fine orta pollinem luteum spargunt, numerum petalorum non excedunt. Tubae tres filo tenui similes, longissimae, solitario ovario insidentes apiculis recurvis singulae terminantur.

Fructus oblongus, magnus rugosus, pyri speciem prae se fert et intus in ternos loculos dividitur, qui singuli magnam teretium rugosorum et ex atro fuscorum seminum copiam continent.

Species colchici autumnalis, quas phytologi enumerant, sunt:

**Colchicum autumnale commune.** Plerumque in pratis humidioribus depressis, rarius in montibus crescit. Variat, nam in pratis folia angustiora, in montibus latiora habet.

**Colchicum Anglicum,** angustifoliuni, flore candido.

**Colchicum montanum,** angustifolium s. minus.

Denominationes variae et a veteribus et a recentioribus Colchico tributae sunt. Appellatur: *Zeitlose*, *Herbstzeitlose*, *Wiesensafran*, *Lichtblume*. Gallice: *Colchique*, *tuechien*, *mort aux chiens*. Anglice: *Wild saffron*. Graece: *εφημερον κολχικον seu βολβοσταγερος*. Arabice: *Hermodactylus*.

Causa denominationis *εφημερον* duplex vocatur: quod eodem die, qua sumatur, interficiat, vel quod quo die nascatur flos eodem intereat. Priori sententiae omnes fere favent et ulteriorem respuunt, cum colchici flos, saltem in regionibus nostris, ultra diem perduret et in duos vel tres vigeat.

Dioscorides (*Opera ex interpretatione Saraceni*. Francofurti 1598. Lib. IV. cap. 84. p. 278), qui duo plantarum genera Ephemeris nomine insignita, letiferum colchicum ita describit: *colchicum*, quod alii agrestem bulbum vocant, sub finem autumni florem edit croci candicantem, deinceps vero folia bulbi, sed pinguiora, caulem dodrantalem cum rufo semine, radicem cortice praeditam e nigro fulvescente, quae quidem deliberata candida, tenera, succi plena atque etiam gustanti dulcis reperitur.

Habet vero ejus bulbus medium rimam fissuramque, e qua flos erumpit. Plurimum in Messenia

et apud Colchos enascitur. Comesa radix fungorum more strangulando eneat. Alterum non letale ita distinguit: caulem foliaque habet Lilii, sed haec tenuiora, flores candidos, amaros, semen molle, radicem unam digitali crassitudine, longam adstringentem, odoratam. Nascitur in silvis et opacis. Hujus radix dentium doloribus praecipua, si decocto ii colluantur. Plinius secundus (Caji Plinii historiae naturalis T. IV. Lib. XXV. cap. 107. p. 255. Biponti 1784.) Dioscoridem in describendo ephemero non letali secutus est, et quoque memorat, id radicem habere digitali crassitudine, dentibus, praecipuam. Galenus (Galeni Pergameni operum quinta classis. Lib. VI. p. 96.) Dioscoridem omnino sequens discrimin interesse inter ephemeron seu Irin agrestem et colchicum seu bulbum erraticum dixit. Easdem protulit herbarum notas et eadem symptomata, quae ex colchico sumto enascuntur, vocavit.

Paulus Aegineta (de re medica Lib. 14. cap. 78. p. 494.) nomen hermodactylus, digitus Mercurii plantae primus tribuit. Affirmat, hanc plantam vim purgatoriam habere eamque etiam in arthritide magnam praebere utilitatem. Et aliam adhuc afferunt rationem, qua rem ita se habere comprobare student, cum dicant, ephemeri non letalis radicem longitudinis, et crassitiei digiti esse, etiam memorandum est. Paulum de ephemero non letifero et de hermodactylo tamquam de rebus plane diversis egisse, ita ut perspicuum sit, eum has plantas distinctas habuisse.

**Demetrius Pepagomienius circa annum MCCLX. Hermodactylon in dissertatione singulari describit.**

Arabice hermodactylus Asaba Hernies, digitus mercurii dicitur, et planta, cuius pars Asaba Hermies est, surengiam ab iis vocatur. (Dictionnaire universel de médecine. Tom II. p. 828. Paris 1746.)

Mesue, qui Graecorum et Arabum postremus medicinam practicam illustravit, ita de hermodactylo disseruit: Hermodactylus radix est plantae montanae, et ejus alias est longus, ut digitus, alias rotundus. Ille, de quo hic loquimur, est rotundus, et ejus alias est albus, alias ruber, alias niger. Melior ex his est, qui est albus et verae albedinis intus et extra. Rubeus vero et niger ambo sunt mali. Cujus ortus est in locis pinguibus et humidis, est malus. Melius collectionis tempus est ver, et meliores sunt, in quibus praeteriit medius annus post bonani eorum exsiccationem.

Solutione educit phlegma crassum e juncturis proprie. Et est medicina arthritidi magna et podagrae, sumptus et cataplasmatus etc.

Dein magna opinionum dissensio inter phytologos exorta est, et permulti eorum enixe studuerunt, ut plantas, quibus a veteribus nomina ephemeri ac hermodactyli tributa essent, recognoscerent,

Fuchsius opinatur, esse *Lilium convallium* non letale (Historia generalis plantarum. Tom. XI. pag. 1574, Lugduni 1587.).

Testatur Manardus (ejusdem annotationes) se nunquam ephemereum innoxium in Italia vidisse, fre-

quentius autem hanc plantam in Pannonia reperiisse. Folia ejus, inquit, foliis Satyrii simillima sunt, quibus deceptus plantam Satyrium credidi, donec radix eruta me certum reddiderit, me aliud genus perquirere.

Matthiolus plantam descriptsit et depinxit a recentioribus inter Lysimachiae species refertam. Tournefort et Hermann (Hermannii Cynosura nat. medicae Tom. III. pag. 393. Argentorati 1726.) hancce sententiam imprimis amplectuntur. Illae speciei Lysimachiae, quae vulgo virginianae appellari solet, nomen ephemeron adscribi meretur, quod flos ultra diem non duret; sub vesperam enim aperitur et ad sequentis diei occasum flacescit.

Sequuntur nunc, quae conjecerunt auctores de hermodactyli indole.

Matthiolus (Hist. gen. plant. p. 1573.) plantam, cui hermodactyli nomen tribuit, ita describit: folia fert praelonga, binorum dodrantum longitudine et fortasse longiora. Caulis prosilit e medio tenuis, herbaceus. Florem non vedit Matthiolus; planta enim Constantinopoli allata et ei tradita fuit. In summitate prominet capitulum oblongum piri figura. Radices sunt quatuor, ex una eadem basi emergentes, colore ex pallido rufescente, albis in summitate unguibus et nullis circa sese fibris.

Dodonaeus putat esse hermodactylum Iris tuberosa, ob figuram nempe, quam iridis radix enato flore praese fert. Haec enim in propagines extuberat, quarum nonnullae digitum referunt, unde plerique ei

hermodactyli nomen dedere. (Histor. gener. plant. pag. 1612.)

Tournefort et dein quoque Linnée hanc Dodonaei opinionem amplexi sunt. (Linnée materia medica p. 48. editio quinta.) Tamen Linnée ipse postea (Diss. Obs. in mater. med. 1712. pag. 6.) inter incognitas stirpes veram collocavit, significatque recentiores quosdam Millerum nec non Forskaehleum sustinere, *Colchicum illyricum* plantam veram esse.

Miller declarat in Lexico ed. 8. *colchicum variegatum* vel *colchicum tessulatum* suum pro *Hermodactylo officinarum* haberi et utramque in Asia minori crescere.

Boerhave, qui *hermodactylum* plantam in horto academico Lugdunensi crescentem delineavit, ita descripsit: flos ejus ab Iride differt, nam refert volitatem vespertilionem; hinc dicitur horticulis Iris, Belgice: fleermuys. Radix habet tuber exiguum, quod validissime sursum deorsumque purgat. Hinc laudatur in podagra.

*Colchicum illyricum*, quod nomen neque in Syst. veg. nec Spec. plant. L. exstat, non satis uotum est, nec ex Rauwolfio Reyss. (pars 1. c. 9. p. 121.) determinari perfecte potest. In libro Matière medicale extraite des meilleurs auteurs p. 139. auctor refert plantam ipsam se in Asia minori, *Colchico vulgari nostro foliis et fructu simillimani* vidisse.

Fridericus Hoffmannus (operum physico-medicorum supplementum secundum. Pars 11. de materia medica cap. XI. pag. 177. Genevae 1753.) ita scri-

bit: hermodactyli sunt colchici Aegyptiaci radices exsiccatae, rotundae, tuberosae, albae, odoris nullius, saporis farinacei et viscosi, optimi sunt compacti et qui levi contusione facile abeunt in pulverem. Radix, qualem officinae sub nomine hermodactyli servant, figuræ est fere cordatae magnitudine circiter castaneae, altera superficie subplana, extus flavicans, interne albida, saporis subviscidi farinosi, ad odoris vero expers. Affertur nobis ex Natolia et Aegypto per Turciam.

Alexander Trallianus Graecorum primus est, qui Hermodactylum antiquis usitatum commendat, et quidem instar purgantis in podagra, cum aromatis subinde purgantium aliorum connubio.

Mesuë (Cap. 7. pag. 63.) non ore modo sumtum, sed etiam cataplasmate applicatum, podagras radices hermodactyli conferre declarat.

Mulieres Aegyptiacae hermodactyli radices, uti in officinis nostris prostant, modice tostas pro Castaneis comedunt, quin numero de decem, dum cubitum eunt, per quindecim ad viginti usque dies, ut pinguefiant, nec inde alvum laxam vel aliud incommodum experiuntur. (Alpini med. Aegypt. p. 234. 253.) Facile inde persuademur, Aegyptiacum Hermodactylum differre ab illo veterum, nisi forsitan vi ignis substitutione acre dissipetur, vel ipsum Hermodactylum veterum alvum movendi vim modo adipisci aliorum purgantium additamento. Russelio (oeconomy of nature in diseases of glands) in usu fuit ad imitationem mulierum Aegyptiacarum in connubio balnei te-

pidi Hermodactylos et aquam marinam propinare, unde in utroque sexu macies, corrugatio cutis, eruptiones variae cutaneae sublatae, habitusque corporis plenus glaberque evasit, et juventus revixisse visa.

Surengiam Arabum Illustr. Link. radix est plantae, cui flores albi et lutei. Aperit flores antequam aliquid flores aperit ad radices montium et scatrigines.

Folia sunt in superficie terrae. Optima est radix alba, intus et extus, fragilis; rubra et nigra nociva.

Fortassis ad iridis speciem hermodactylus est referendus, nam plurimis earum in radicibus vim album laxandi esse haud ignotum est. Celeberrimi phytologi, Linnée, Murray, Widenow et Link hoc colchicum Illyricum inter plantas haud cognitas referunt et jure hermodactyli originem omnino dubiam esse credunt.

### DE COLCHICI RADICE.

Bulbis ovatus nucis juglandis magnitudinis fovea et crista laterali sursum instructus unice pro usu servandus est, annotinus vero emarcidus et exsuccus rejiciendus est. Quo succosior est radix eo efficacior, hinc verno tempore colligi eam jubet Stoerkius: attamen Stolzius notat, radicem autumno collectam longe efficaciorem esse quam vere. Judicium de viribus non solum sed et de sapore et odore hujus radicis vario tempore tantum differt ut maxime inter se differant auctores.

Radici colchici autumnalis praecipue recenti vires

narcoticas et acres inesse antiquitas jam bene compertum habuit. Paulus Aegineta vires hujus plantae bene nobis exposuit. Colchicum commestam strangulando necare adnotavit Dioscorides (Lib. IV. Cap. 84. pag. 278.). Lanzoni haec planta inquit in omnibus partibus vim humano corpori inimicam habet, statim enim labia et ventriculum erodit et exulcerat. Maranta jam etiam notavit, verno tempore esse amarissimam, autumno dulcem (Meth. cogn. simpl. p. 33).

Tandem strangulationem excitat ac si quis fungos comedisset. ubi pariter ad intestina usque ejusmodi affectiones progrediuntur, eaque corrodit et exulcerat, adeo ut brevi temporis spatio sanguis et cum eo particulae intestinalium per alvum exeant, neque solum alvi fluxum, sed quoque vomitum loturae carnis similem concitat (Josephi Lanzoni opera omnia p. 195.). Hallerus quoque autumnalem radicem omnis saporis et acrimoniae expertem reperit (Hist. plant. Helv. 1256.); at Knape Bulbos integros recentissimos in Carniola et agro Tergestino se autumno comedisse fatetur (in Stoerk. Contin. experim. pag. 233.), nec praeter ingratam amaritudinem ullum incommodum sensit. Stoerkius, qui usus est vernali, ex applicata recente leviter contrita saporem acerrimum et linguam inde rigidam omnique sensu per aliquot horas destitutum deprehendit, annosae farinaceum adscribit.

Murray initio Augusti in recenti radice nuper rime evulsa dum taleolas resecuit odorem sentit nauseosum, manifeste nares irritantem, attamen sternutationem

tationem non provocabat, et linguae admota acrimoniae sensum potius quam amaritiei excitabat. Kratochvill (Dissert. de radice colchici, Franc. ad Moen. 1764.) nihil, inquit, se horum omnium sensisse; in superficie taleolarum dissectarum efflorescit quasi farina, quam gustatam Kratochvill non acrem, sed amaram modo, deprehendit, et albidum modo e farina immixta succum vidit. Id vere ita esse inde elucet, quod succus expressus quieti traditus sensim clarus fit et deponit sedimentum copiosum, cuius pars inferior album amyłum refert, superior autem viscida et subflava est.

Ego radicem autumno effossam saپore ingratis acrem et farinosam odore subnauseoso, sternutacioni parum movente reperi. Duo pueri, qui in prato per lusum radices colchici devorarunt, misere perierunt (Jo. Agricola Ammonius medic. herbariae Lib. I. p. 90.).

Recente radice a rustico incaute sumta inter vehementissimas affectiones in vitae periculum versabatur, donec alvum soluta erat (Ludovici opera p. 63.). Etiam flores hujus plantae haud insontes sunt. Ferunt, Turcas, inquit Dalechamp (historia generalis plantarum Tom. II. p. 1575.), floribus colchici uti, cum inebriari volunt. Eos enim vino macerant, quo epoto adeo stupidi redduntur, ut in ecstasin abeant.

Mortem attulerunt flores tres vel quatuor ancillae, quae illos expopulari errore contra febrem intermittentem sumserat, postquam doloribus intestinalibus aliisque ambiguis malis per triduum excruciantia fuisse.

Semina aequo modo vi letifera pollent. Ex seminibus, quae subdulcem saporem habent, duo infantes capsulis ludentes aegrotarunt vehementius, et enormi vomitu correpti sunt, quorum alter animam exhalavit (Bresl. Samml. 1723. pag. 679.).

Stoerkius, qui ipse ambiguam radicis vim in se exploraret, sensit incommoda subsequentia: granum hujus radicis succulentae mica panis albi involutum duabus praeterlapsis horis post prandium deglutitum per horae quadrantem nil incommodi sentiebat, postea vero ardor in ventriculo oriebatur, initio fixus dein sede variabilis, subsequente in viis lotii pruritu et mingendi conatu, cum urinae paucae flaminiae stranguria et tenesmo dolentissimo, item magna tensione circa cor, cephalalgia molesta et singultiendi conatu, doloribus colicis aliisque molestiis, quibus languor superveniebat, per subsequos dies et stranguria mucilaginosis et anodynus coercenda erat (Lib. de colch. experim. IV.). Affectiones ex colchico vitiouse injecto, si non multum temporis praeterlapsum fuit post passum, optime emeticis tolluntur, si autem jam diutius in ventriculo haesitaverat, colchicum tum lactis copiosior usus et clysmatum emollientium et mucilaginosorum optimo adjumento sunt.

Acidis multum profuisse testatur Stoerkius.

Antidota, quae veteres huic veneno respondere contenderunt, sunt secundum verba Dioscoridis alexipharmacæ; eos, qui colchicum assumserunt, vomitione ac clysteribus adjuvare convenit, sed antequam venenum invalescat; dandum iis decoctum frondium

quercus, aut serpylli aut malicorii ex lacte propinan-dum, item succus polygoni aut virgultorum vitis aut rubi aut medullae recentis ferulae aut myrti cum vino. Lacte asinino aut bubulo calide poto aut in ore retento eximie juvantur.

Temporibus nostris eadem remedia ad effectus colchici intus in corpore urentis vincendos laudantur, quibus in quovis beneficio per acre utimur. Emetica haud dubie praestantissima sunt, nisi jam vomitus spontaneus venenum assumptum reddiderit. Dein involventia et demulcentia, non solum post emetici effectum, sed etiam tum, quum tempus justum vomitoria propinandi jam praeterlapsum est, tribuantur; ante omnia lac emulsiones oleosae, decocta avenae, hordei etc.

Brutis esse nocivum imo letiferum colchicum, pluribus observationibus satis cognitum est. In pratris intacta relinquere solent folia. In Carniola bobus deleterium est, minus vero noxium autumno et siccatum visum est, ibidem omni vi nociva privari creditur. Primus effectus intumescentia inguinum apud illos sese exserit, ad avertendam noxam confert uti decocto ex Nicotiana cum aceto et melle.

(Hacquet in der Sammlung der Gesellschaft des Ackerbaues zu Krain.)

Binis drachmis dissectae radicis c. carne ovilla a cane devoratis, hic post horam sesquialteram evomit offam, sed nihilo minor paulo post artus tremuerunt, convulsum abdomen et scrofululus cordis introrsum versus, subsequatae novae vomitiones, tulatus, uri-

nae largum profluvium, creberrimae alvi dejectiones, demum misere periit. Quicquid sub finem hujus scenae evomeret, loturam carnis retulit, sicuti et ultimae dejectiones multo sanguine, carunculis et frustis membranaceis mixto exstiterunt, imo membranaceae partes ex ano propenderunt; sensorii communis autem vis remansit usque ad mortem. Ventriculus et intestina inflammata et gangraenosa repertas sunt (Stoerk de colch. p. 17.).

Everard Home (T. c. 1816. pag. 263.) guttas centum et sexaginta vini colchici in venam jugularem canis injecit. Animal motum voluntarium statim abolevit et pulsus et respiratio rariores factae sunt. Pulsus canis vigente secunda valetudine ut plurimum 140 ictuum intra sexagesimam est. Decem sexagesimis post vini colchici injectionem pulsus ad ictus octoginta quatuor lapsus est et viginti praeteritis sexagesimis non nisi sexaginta micatus pulsus habuit.

Tremor extremorum. Hora praeterita pulsus ad centum et quinquaginta ictus exsurrexit et valde inaequalis ac tremulans erat. Praeteriit nunc artuum tremor, sed vana vomendi conamina canem invaserunt, quae tandem post horam secundam a vini colchici injectione vomitu bis repetito finita sunt. Canis urinae uncias sesqui reddidit et alvum bis dejecit. Praetergressis horis tribus iterum per os et anum reddebat, adeo autem jam debilis fuit, ut pulsus non tangi potuerit. Ingravescente debilitate et facto vomitu materiae sanguinolentae canis elapsa hora quinta biit. Ventriculum pituita sanguine mixta repletum

et inflammatum reperit Home. Duodenum inflammationis vestigiorum haud immune fuit, ejusque morbi symptomata, quamquam leviora, etiam in jejuno et ileo perspicua fuerunt.

Ex experimentis in hominibus et animalibus institutis elucet, vim radicis colchici valde irritantem et narcoticam, sistema vasorum nervorumque affluentem, organorum secernentium activitatem augentem, resorptionem moventem, sudorem et urinam excitantem et alvi dejectiones augentem esse. Attamen hanc vim vehementem radicibus recentibus succosis tantummodo adscribi potest, si quidem radices siccatae et antiquae nullam fere vim habeant.

**Usus radicum colchici recentium.**

Ex illo tempore, quo Stoerkius radicem colchici autumnalis ut medicamentum commendabant, eam omnes fere medici remedium radici scillæ maritimæ similem habebant, et substitutum ejusdem saepe adhibebant. Sequentibus vero qualitatibus imprimis ab radice squillæ iterum distinguitur.

*a)* Nutritionem et digestionem in minus periculum vocat.

Home tinctura colchici per longum tempus sine noxa usus est.

*b)* Purgationem potius quam vomitum concitat.

*c)* Multo gravius topice irritat corporis superficiem quam scilla.

Temporibus nuperrimis semina colchici a quibusdam medicis commendata sunt, quae propter similem virtutem, et quod molestias minores in orga-

nis digestioni destinatis exserunt, radicibus fortasse anteponi mererentur.

## MORBI, IN QUIBUS COLCHICUM AUTUMNALE ADHIBITUM EST.

Contra morbos hydropicos cum atonia organorum se- et excernentium conjunctos. Item in asthmate spastico et pituitoso. Linneus primus colchicum diureticum nominavit, ejusque usum commendavit, etiamsi modum radicem usurpandi non exponat. (Amoenit. acad. Vol. V.) Praemittenda vero sunt propria Stoerkii in hydrope experientiae, oxy-mell. colchici ex aceti scillitici libra una et mellis puri libris duabus paratum; quod acetum scilliticum acre est, linguam vellicat, deglutitum fauces irritat et simul amarior oxymelle squillitico est. Hoc oxymel leviter modo linguam stimulat et adstringit, mucumque, quo obducitur, egregie abstergit, ad parvum cochlear autem sumtum urinam movet. (Stoerk. p. 26. seq.) In dupli malo nominatim egregias vires secundum Stoerkii experimenta ostendebat, in hydrope scill. et asthmate, non vero unice in simplici hydrope vel mitiori ejus specie, sed complicato et graviori, ad parum cochlear sumtum hoc oxymel profuit, opem tulit in ascitide cum hydrope anasarca juncto (Lib. de colch.). Adfuit subinde simul difficillima et stertorosa respiratio cum tussi (cap. 3. 4. cont. experim. 2, 3, 6, 7, 8.). Levavit malum etsi phthisis ulcerosa pulmonum adasset et devicit hydropem etiamsi phthisin non posset (cap. 2, 6.). Et varia alia incassum ante ten-

tata fuere; nec diurnitas mali obstitit, utpote quum per aliquot menses apud plures duravisset. Praesertim mentio facienda est, virginis miranda magnitudine et duritie ventris femorumque tumidorum inflexilitate laborantis, hujus virtute sanatae (cap. X.). Eandem experti sunt efficaciam multi alii medici, e. c. Zach. Pestini (Stoerk. cont. experim. p. 160.), Plenk. (mater. chir. p. 345.), Collin (obser- vat. circa morbos acutos et chronicos), cuius pericula in nosocomio vindebonensi facta satis docuerunt, colchici autumnalis radicem non solum posse tuto exhiberi hominibus, sed et ejus usu curari quandoque morbos difficillimos, qui aliis remediis non cedunt.

Cuique aetati colchicum convenienter agit. Plan- chon (ejd. lib. Vol. 18. P. 11. p. 217. et seq.) variorum infantum curatorum meminit. Margel (Journ. de Med. Tom. 23. p. 20.) aliud exemplum memoriae tradidit, infantem, annum quartum agentem, ascitide laborantem brevi tempore malo suo liberatum fuisse (Stoerk. cap. 13.). Vetula nonaginta annorum, quae sui penitus nescia erat, nec audire, nec loqui, nec ullum membrum movere (quasi insultu apoplectico detenta) potuit, respirationem stertorosam agit, prae- stans pulsum debilem, inaequalem intermittentem, et dum tussiebat, audiebatur ingens strepitus materiae mobilis, qua pectus repletum erat. Remedia sputum et urinam moventia viresque excitantia frustra aegrae exhibita sunt. Adhibito colchico autem urina copiosissime reddebatur, et altero die aegra iam sui magis compos erat. Inter paucos dies ad rogata respondit,

liberius respiravit et artus aliquantulum movebat. Tumor mollior et pulsus sat aequalis erat. Aegra quotidie se melius habuit et spatio trium hebdomadum sanitatem recepit.

Colchico ingestu sequentia phaenomena in conspectum veniunt: urina ante parce et guttatim defluens nunc copiosius redditur, pallida aut fusca, pellucida aut turbida, sedimentosa est. Urina ab initio turbida et dein sedimentum crassum deponens semper indicio est, rem bene cedere. Stranguria haud raro liberiorem urinae secretionem antecedit, quae vero statim desinit, urina copiosius reddita, cutis ac facies colorem naturalem trahit et calore extremitates rursus afficiuntur. Sudor quoque haud raro supervenit. Alvus pluries per diem dejicitur et descendunt foetida glutinosa. Cibos appetere incipiunt aegri et sitis magna, de qua antea conquesti sunt, vigente ciborum cupiditate abit. Pulsus fortior aequalis et naturalis fit. Respiratio nunc liberior est, in utrum latus jacere possunt, noctes quietae sunt et facilitiore longiori reque somno aegroti gaudent. Abdomen non tam tensum quam antea, minusque amplum est, concidit et ad statum naturalem revertitur. Viscerum obstructions eorumque indurationes, ubi conspicuntur, evanescunt, neque tumores antea manifesti et prominentes tactu ullo modo cognosci possunt. Copia aquarum, quam hydropici colchico utentes intra dum excernunt, libras decem usque ad sedecim aequat (Collin). Majus vel minus temporis spatium, quod curatio replet, a mali natura, ejus causa, aegri habitu

et aetate et tempore, per quod jam hydrops locum tenuit, pendet, et inter hebdomades duas et decem absolvitur.

Illi eventus adeo fausti plurimos medicos impulerunt ut tentarent, an eadem methodo hydropicis opem frustra saepe petitam adferre possent.

Heuermannus (Vermischte Bemerkungen und Untersuchungen sc. B. 1. S. 24. Copenhagen 1765.) colchicum autumnale inter remedia ad hydropem depelandum praestantissima refert; affirmat se nullum effectum funestum adhibiti hujus remedii vidisse.

Theden (Unterricht für Unter-Wundärzte) in casibus gravioribus jam omnibus rebus desperatis, adhibitum colchicum optime profecisse testatus est.

Plenk. denique memorat, se colchicum in hydrope articuli genu utiliter bis adhibuisse. Et sic sunt medici plures, quibus radix colchici autumnalis commendata est.

## DE COLCHICI USU IN ASTHMATE, PNEUMONIA ET CATARRHO CHRONICO.

Experimenta a Stoerkio facta docuerunt, colchicum in catarrho pulmonum chronicō et in asthmate humido magnam praebere utilitatem. Saepe ad hoc remedium confugit in tussi annosa, valde molesta, laboriosa fere continua, qua nulla reddebantur sputa et in dyspnoea magna, interdum tanta, ut aeger nec fortius ingredi nec gradus adscendere posset. Sputum copiosum largum tenax prodibat, quo ejecto respiratio libra facta et pectus levatum est. Goeritz (Büch-

neri miscellan. phys. mathematic. orbis annui 1728. pag. 1212.) in asthmate hypochondriaco ad magnum gradum profecto colchici ope perfectam sationem effecit.

Carminati Omodei (Anal. de medicina 1823. vol. XXV.) mirifice usus est oxymelle colchici tamquam remedio antiphlogistico in pneumonia dosi scrupuli unius, duorum usque ad drachmam de die.

Haden (Observations on the colchic. autumnale etc. Edinburgh. Journal 21. Juli. S. 450.) pulverem radicis colchici cum Kali carbonico et Kali sulphurato eodem in morbo in usum vocat.

Praecipue in affectibus arthriticis et rheumaticis, temporibus recentioribus colchicum specificum commendatum est. Medici anglicani ultimis temporibus pericula plurima fausto effectu fecerunt. Everard Home (de specificis et eorum efficacia in the London medical. Repository. 1817.) tantum remediis duobus specifici nomen in arthritide tribuit. scill. Hydrargyrum et Infusum spirituosum colchici. Ex Homii observatione illius usu remedii pulsus lentius redditur, a quo effectu in Systema vasorum usus primarius ejus remedii contra arthritidem pendere videtur. Memorabile est, sedimentum in tinctura spirituosa natum colicam, vomitum et ipsam gastritidem ciere, et tincturam claram solum arthritidem sanare.

Exempla plura de commodo usu Want (The medical and physical Journal, conducted by Samuel Fothergil and John Want. London 1815. vol. 33. 34.)

narrat. Ex Montegni notitia antarthricum in Gallia sub nomine; eau medicinale usitatum ex radicum recentium tinctura concentrata constat (Gazette de santé ou récueil général etc. par une société de médecins. Paris 1815). Secundum medicos alios hoc arcana ex helleboro, colchico et gratiola constare fertur. Scudamore teste vero ejus compositio nondum cognita est. Phaenomena, quae ex arcani usu produnt, sunt: doloris imminutio et tota ablatio breviori vel longiori mora; calor vitalis auctus et cum eo simul sitis intensio.

Aeger quatuor aut septem horis post medicamen sumtum in somnum quietum incidit et ex eo expergiscens cutem plerumque sudore madidam et se doloribus omnino liberatum sentit. Nausea et irrita vomendi conamina in nonnullis unamquamque remedii dosin sequuntur; sicut quoque frequentior desidendi animus saepe advertitur. Ingrata sensatio interdum per viginti quatuor vel quadraginta octo horas remanet, quae vero non impedit, quo minus aeger artibus uti possit. Decedit enim tumor articulorum, et ita succurrit medicina aegro, ut pedibus, quos antea non movere posset, instare et commode meare, vel, si manus morbi sedes fuit, cum ea quandoque negotium subire possit. Tempus, per quod aeger doloribus liberatur, a morbi longinquitate pendet.

Home Tinctura colchici ex sedimento liberata cum felicissimo effectu in arthrite vera, paroxysmis regularibus apparente usus est. Want, Williams, et

alii medici anglici, Montegnus in Gallia, Consbruch in Germania Homii indiciis plane consentiunt. Johnson ipse affirmat, tincturam colchici eodem brevi tempore arthritidem sanare quam ipsam aquam medicinalem Hussonii. Batley vinum colchici ex radice paratum in affectionibus arthriticis ad guttas viginti adhibuit. Home affirmat, sedimentum, quod in vino colchici nascitur, praecipue efficax esse, vehementius quam reliquae partes agit, et ejus acrimonia ventriculi inflammationem faciliter concitat. Colchici infusum cum et sine sedimento contra arthritidem efficacissimum est, vino a sedimento liberato illud neque in stomachum neque in pulsum agit, sed contra arthritidem ad guttas sexaginta usque septuaginta exhiberi potest. Haec observationes Homius tum apud se tum alios instituit. Eliot vino colchici in affectionibus arthriticis periodicis cum stagnationibus in hepate conjunctis cum eventu magno usus est. Flores colchici a Forrestio et Coplandio antarthriticum commendati sunt, ex eorum relationibus sequitur, flores colchici partem essentialem aquae medicinalis Hussonii constituere. Coplandius tam flores recentes quam siccatas, in forma tincturae, vini aceti adhibuit. Secundum O. W. Bartley (Bemerkungen über den Nachtheil des Gebrauchs des sogenannten eau medicinale) Aquae medicinalis Hussonii usus noxius est; dolores quidem arthriticos statim minuit, sed ex observationibus allatis in effectibus postea adductis perniciossima est, magnam Systematis nervosi et digestionis officii debilitatem adducens.

soup Armstrong (de febre typhosa) tincturam ex recentum radicum ineunte aestate effossarum unciis duabus cum spiritus vini unciis quatuor per quatuordecim dies digestam et mane et vespere ad drachmam unam exhibitam levamen celerius et magis dijudicantam quam aliud quocunque remedium in rheumatismis acutissime attulisse contendit. Bart (Göttinger gelehrte Anzeigen 1823. Nr. 91.) vinum colchici in affectibus arthriticis ad guttas sexaginta commendat; secundum eum dosis una jam sufficit, et secunda non prius necesse sit, quam paroxysmus alter adparet.

Williamus (London. med. Repos. vol. XIV. Nr. 80. 85., Hufeland Journal 1822.), semina radicibus praefert, quod minus principii acris et ob similem vim effectus fere nullos alios incommodos habent; vinum colchici e seminibus paratum adhibet et sequenti modo eum parari jubet:

*Rec. Semin. maturescent. colch. non contus. 3jj.*

*Vini hispan. 3xvj.*

Digerantur per aliquot dies leni calore, cola et serva. sumatur hujus vini drachma cum aqua aromatica juncta. In hoc remedio usurpando diaetam parcam observare cibos flatus pellentes et obstruentes vitare hic medicus suadet.

Dr. Locher Balbar Tiguri (in medicinae annalibus ab J. G. C. Heckero editis mens. Martii 1825.) experientias suas de radicum colchici effectu imperit. Radicibus recentibus usus est, forma vini ex prescriptione Armstrongii parati. Morbi, in quibus illa tinctura vinosa usus est, erant I. dolores arthritici cum

artuum manus et genu intumescentiis juncti, quos dein ascites sequebatur. II. In iritide post cataractae operationem orta, qua in cataracta aegrotus prius doloribus rheumaticis in extremitatibus laborabat. III. In iritide arthritica suppurationem spectante. In casibus his tribus Locher Balbar tinctura cum utilitate magna usus est. Ex experimentis suis rite collegit, hoc remedium organis digestioni inservientibus admodum inimicum esse, eorundem actionem tollere, muci secretionem augere, et sufficiente quantitate propinatum speciem aliquam cholerae ciere, vim in vias uropoéticas minus constantem deprehendimus.

Insuper in aliis morbis hoc remedium adhibitum est. Williamus magnam utilitatem attulisse semina in rheumatismo venereo, arthritide aliisque morbis dolorificis refert. Raven. choream puellae septendecim annorum cum hoc sanavit.

### COLCHICI USUS EXTERNUS.

Johannes Bauhinus memorat, medicum quendam cataplasma e colchici bulbis compositum ani verucis imposuisse, quo remedio excidissent, eundemque jussisse cum decocto hujus bulbi pubes abluere ad mortem pediculorum efficiendam.

(Traité de la matière médicale par Geoffray. Tom. 6.)

Zornius colchici radicem et semina contusa cum melle et farina hordei conimixta cuti inflammatae imposuit, et spinas ac festucas ex ea educit. (Joh. Christ. Ehrmann de colchico autumnali, p. 44. Ba-

sil. 1772.) Stoerk refert, acetum colchicum egregium esse resolvens, si externe applicetur, et se hujus aceti ope magnum tumorem cantho oculi interno inhaerentem plane digessisse.

Veteres medici radici colchici longe insigniores effectus tribuerunt, eam quasi alexipharmacum esse et homines instar amuleti sacculo inclusa collo adaptaretur, a venenatis morbis, dysenteria, morbis epidemicis multiplicis generis, febribus malignis, exanthematicis, et in ipsa peste tueri crediderunt.

Sunt nominatim Wedelus, Wilhelmi et Hasenest, qui talem colchici usum commendat. Wedelus (*Experimentum curiosum de colchico in den Bresl. Sammlungen*, 5. II. 6. Bd. S. 1770.; item *Wedeli Comment. de colchico*. Jen. 1718.) plantaginem maiorem, colchico adjunxit et huic compositioni nomen arcanum duplicatum catholicum tribuit. Superstitioni spurcitiem addit; dum radicem in emplastro ano applicatum in peste laudat. Serior utroque auctor Hasenest collo appensa pectorique nudo imposito radice se aliosque medicos a febre castrensi muniisse et inde sudores solito largiores et colore subfuscō lintea tingentes in se erupisse persuasum nobis cupit. (Comm. Nov. 1736. p. 12. 107.)

## DE MODIS, COLCHICUM PRAEPARANDI.

Pulveris forma nunc haud adhibetur, quoniam radix ex siccata inefficax est.

Frequentius adhibetur infusum aquosum ex recentium radicum concisarum unciis quatuor et aquae

communis unciis octo paratum. Dos. cochlear parvum bis vel quater de die.

Magis commendanda sunt tamen praeparata sequentia:

Tinct. Colchici spirituosa.

*Rec.* Radicis colchici recentis concis. ʒjv.

*Spir.* vini rectificat. ʒvjjj.

Digere per dies octo, expime, filtra et usui serva.

Ex praescriptione haec tinctura sequenti modo optime paratur:

*Rec.* Radic. recent. autumn. effos.

et ad pultem trit. ʒj.

*Spir.* vin. rectificatiss. ʒjjj.

Digere in vase clauso aliquot diebus leni calore, filtrata ut tincturam serva.

Ad drachmas duas aegris propinatur.

Tinctura Colchici vinosa methodo Consbruch. parata:

*Rec.* Radix. recent. colch. ʒjv.

Vin. malacens. ʒvjjj.

Aliquot dieb. digestis, filtra et serva.

Haec tinctura cum arcano celeberrimo Hussonii plane convenit ad guttas sexaginta usque ad septuaginta.

Vinum Colchici secundum Williamum:

*Rec.* Semin. colchic. maturescent. non contus. ʒjv.

Vini malacensis. ʒxv.

Digere per horas quadraginta, cola et serva.

Dosis drachma una c. aqua aromatica.

Vinum Colchici Homii.

*Rec.* Radic. colchici recent. in taleolas sectae ʒj.

Digere leni calore cum vini de Madeira ʒjj.

per dies sex, tunc expime et filtra.

Hoc vinum colchicum coloris subrubri, odoris vino de Madeira proprii et saporis acris, amari et nauseosi est. Multum salivae, si vinum in ore retinetur, elicit, et ingrata titillatio linguae radici diu inhaeret. Infusum colchici vinosum, licet percolatum sit, sedimentum praecipitat, si non agitatur id, quod eodem modo in aqua Hussonii sit.

### **ACETUM COLCHICI EX RADICIBUS RECENTIBUS CUM ACETO VINI PARATUM.**

Juxta Stolzium acetum colchici eodem modo ut tinctura parari potest; attamen illa cautione calorem ad eum gradum non augendum ut amyllum solvatur, quia hoc aceti corruptioni favet. Ad guttas viginti vel sexaginta in hydrope, secundum Scudamoris experientias cum laxantibus conjunctum in affectibus arthriticis maxime laudatur. (On the nature and cure of the gout. London 1816.)

#### Oxymel Colchici.

*Rec.* Aceti colchici 1*flj.*

Mellis puri 1*flj.*

Misce et coque supra leni igne ad mellis spissitudinem.

Semper a parva dosi incipiendum et in principio adultis drachma quater per diem, infantibus bis per spatium viginti quatuor horarum propinanda est, si aegri hanc dosin facile ferunt et effectus debitus non enascitur sensim sensimque augenda est. Stoerkius desperatae hydropicae unciam quater de die dedit eamque sanavit. Robustis quoque, et quibus sana vi-

scera sunt, licet illico a magna dosi incipere. Quibus alvus inde laxa sine levamine fit, unde debilitatio insignis, hisce opus est opiatum vel Syrupum Papaveris albi admiscere, unde ad solitas lotii vias vis convertitur.

Si fortasse Extractum colchici a medicis prescriberetur idem ex succo recenter expresso et a sedimento amylaceo decanthato eodem modo ut Extractum aconiti, chelidonii etc. parari necesse erit.

### RADICIS COLCHICI PARTES CONSTITUTIVAE.

Secundum analysis ab celeb. Stolzo factum, radices mense Martii fininente collectae, sequentes partes constitutions continent. amyllum, Principium amarum c. dulce mixtum, saccharum cristallisatum. Liquamen resinous (Weichharz). Substantia per Kali extracta etc. Berlin. Jahrbuch der Pharmacie. 1818. Jahrgang 19.

In radice Octobri ineunte collecta partes eadem constitutivae, sed majori copia, repertae sunt.

Hae cum experimentis a me institutis paene conveniunt, attamen vero substantiae adiposae mentionem facere me oportet, quam e radica cum spiritu vini rectificatissimo tractata aetheris sulphurici ope elicui.

In extracto recenter expresso principium albuminosum et calx cum acido gallico et malico conjuncta adhuc inveni.

Caventon, et Pelletier in radice recente colchiic idem principium alcalinosum, quod in seminibus Sa-

badillae contentum est, reperiisse contendunt, et ab hoc principio colchici virtutem maxime pendere putant.

*sol.* In eunte Novembri e radicibus recentibus colchici autumnalis principium alcalinosum exhibendi pericula feci, quae vero eventibus meis non responderunt. Quem ad finem curabam, ut mihi ex Hercynia recentium radicum quantitas mitteretur, cuius dimidia pars abrasa, aqua abluta, nec non a membrana fusca externa liberata in mortario serpentineo sub continuo addendo aqua contundebatur, et aquae additamento tam diu pergebatur, quam illa inde adhuc turbetur. Fluidum turbidum et a radicum remanentia sejunctum per quadraginta octo horas seponebatur. Tum liquor limpidus a praecipitato nato amyli virtutes praebente decantabatur. Liquor a sedimento liberatus partibusque aequalibus spiritus vini rectificatissimi mixtus radicum residuo affundebatur et in cucurbita cupreo stanno obducta, munitaque capitello per aliquot horas coquebatur. Infuso flavescenti calide filtrato plumbeum aceticum aqua destillata solutum tam diu affundebatur, quam praecipitatum nascebatur. Liquori a praecipitato decantato atque a plumbo acetico praevalente per acidum hydrothionicum e ferro sulphurato paratum liberato nec non ad syrapi tenuis spissitudinem evaportato, tam diu liquor ammonii caustici affundebatur, quam praecipitatum nascebatur, quod quidem praecipitatum in abundantia ammonii iterum solvebatur, quo vero calore evolato, largiori copia subsequebatur. Quale praecipitatum sordido flavum lenissimoque calore subsiccatum cum alcoholę absolutę tam diu tractabatur,

donec nihil amplius solvebatur. Solutio subflava saporis amari et nauseosi chartis tinctis, quibus alkali explorari solent, haud mutabatur. Residuum ab alcohole absoluto non receptum griseo erat colore, sapore paullulum adstringente, solvi potuit in acido muriatico puro et in solutione muriatica alkali praecipitata gignit. Liquor, e quo ammonium causticum instillatum nihil praecipitare valuit, ab ammonio caloris ope liberabatur. Deinde solutioni natrum carbonicum aqua destillata solutum addebatur, quo pulvis griseo albescens vasis fundum petebat, qui in acido muriatico effervescendo solubilis. Qua in solutione alkalia carbonica et Kali saccharicum praecipitatum album in aqua insolubile progignit.

Acidum ei radicibus recentibus elicitorum connubium acidi gallarum cum acido malico est.

Pericula plurima cum Veratrino Andral fecit. Connubio ejusdem cum acido acetico usus est. Granum hujus veratrini acetici in aqua solutum naribus canis injectum vehementissimam sternutationem excitavit civit per aliquot tempus durantem, exinde fere per duas integras horas ex naso effluxit mucus sanguinolentus. Portio aequalis veratrini acetici in pharyngem delata salivationem vehementem procreavit; duodeno immisso ipsum contrahebatur, dein dilatabatur et sic alternis motibus commutabatur, decem minutis elapsis canis ipse mortuus est. Intestino recto injecto evacuationes sequebantur, post dimidiam horam vomitus, deinde inania, sed dolorifica, ad evanquam conamina, quae aliquod tempus perdura-

bant. Tetidem pleurae sinistram applicatum ejulatum vehementem, convulsiones, dum applicabatur, excitatit, parte minima horae elapsa, respiratio celeria, tetanus et ipsa mors.

Veratrinum similem exserit vim in organismum, quam plantae, e quibus elicetur, actissime corporis partibus conjunctum minori in quantitate inflammationem levi progenerat, majori in quantitate tetanum, in circulum sanguinis susceptum vehementissime agit in primisque intestina crassa afficit.

## CURRICULUM VITAE.

Ego, *Ludoovicus Christophorus Albertus Creutz*, natus sum Rothenburgii ad Salam, pago provinciae Magdeburgensis, die VIII. mensis Junii Anno MDCCCLXXXIV. parentibus *Joanne, Jacobo* sacrarum ministro et *Aemilia*, e gente *Unger*. Primis literarum elementis usque ad duodecimum aetatis annum in schola publica imbutus sum. Jam vero ab anno MDCCCVI. avunculus meus *Unger*, Berolini rei monetariae regiae praefectus summa pietate colendus, me tamquam filium educari curavit, cui pro tot et tantis beneficiis, quibus et hucusque largiter abundo, gratias ex animo quam maximas publice ago. Hanc ob causam domum paternam reliqui et Berolinum me contuli, ut avunculi consilio virorum eruditissimorum Gymnasii Friedericiani institutionibus atque praeceptis informarer. Ideoque ab amplissimo viro *Hecker*, tunc temporis Gymnasii Ephoro, discen-  
tium numero adscriptus sum. Tres integros annos me docuerunt et operam mei educadni inter omnes susceperunt, in primis *Hoffmannus, Jungius* et *Kuehnavius* jam prole dolor morte praematura literis erepti, in literis et variis disciplinae naturalis rebus addiscendis, quibus viris nou possum, quin hac occasione oblata publice gratias agam maximas. At vero nunc ad pharmaciam addiscendam appulit me animus, contigit vero mihi esse tam felicem ut in hac doctrina mihi esset praceptor gravissimus *Schraderus*, vir summe reverendus, Assessor Collegii medici, chemiae peritissimus, naturae scrutator maximus, civis optimus. Iste

vir me intra parietes domus suae receptum per quatuor annos, quibus discipuli munera pertractabam et per annum unum, quo socii officiis fungebar summis beneficiis ornavit et familiae suae quasi membrum adamavit. Jam vero disciplinis ad pharmaciam pertinentibus instructus, dum hocce tempore etiam aliis preelectionibus de chemicis et physicis rebus intersueram A. MDCCCXIV. Berolinum reliqui, ut Nissiae in Silesia superiore sitae officia et munera socii in officina viri clarissimi *Promnitzii* susciperem. Attamen tres annos ibi deditus officio meo Berolinum redii ad cursum, quem dicunt pharmaceutico-chemicum et examen publicum subeundum, quo feliciter superato iterum Berolinum reliqui, Rostocium in ducatu magno Megalopolitano me contuli, ubi apud virum amplissimum et doctissimum *Kruegerum* negotia in officina et operationes chemicas suscep*i*.

Jam longo ex tempore me aliquis rerum medicarum amor tenuit, qui in dies semper increvit, ideoque medicinae studio penitus addixi et A. MDCCCXXI. mense Maji inter cives academicos Berolinenses receptus sum ab Illustr. *Lichtenstein*, tunc temporis Rectore, et Decano Illustr. *Rudolphi*. Hisce abinde praceptoribus usus sum: In Botanice Illustr. *Link*; in Osteologia, Syndesmologia, Splanchnologia Illustr. *Knape* in Anatomia humana, Physiologia, Methodologia medica, doctrina de organis sensuum et de Entozoorum historia naturali Illustr. *Rudolphi* disserentes audivi. Sectiones in cadaveribus instituendas Illustr. *Rudolphi* et *Knape* me docuerunt. In Zoologia Cel. *Lichtenstein*, in Chemia Illustr. *Hermbstaedt*, in Pharmacologia Illustr. *Link*, in Pathologia generali Cel. *Hecker*, nec non in hac doctrina et Semiotice Cel. *Fr. Hufeland* duces mihi contigerunt; in Philosophicis Cel. *Hegel* audivi. In Patho-

logia et Therapia speciali Cel. *Horn* et Illustr. *C. W. Hufeland* me docuerunt, in Materia medica, tam generali quam speciali, Illustr. *Berends*, in Chirurgia Illustr. *Graefe* et *Rust*, in Akiurgia Illustr. *Rust* c. Cel. *Klugio*, Doctrina de morbis syphiliticis Cel. *Rust*, Doctrina de operationibus circa oculum humanum instituendis Cel. *Jüngken*, in Doctrina de arte obstetricia, tam theoretica quam practica, Cel. *Kluge* nec non Illustr. *de Siebold*, denique in exercitationibus obstetriciis manu faciendis in phantomate, fascias imponendi me docuit Cel. *Kluge*. Ad Cliniken medicam me instituerunt Illustr. *Hufeland* et Illustr. *Berends*, ad cliniken chirurgicam et ophthalmiatricam Illustr. *Graefe* et *Rust*.

Tentamine examineque rigoroso rite peractis spero, fore, ut Gratiosa Facultas medica summos in utraque medicina honores benevole mihi impertiat.

## THESES DEFENDENDAE.

---

1. *Induratio telae cellulosa et erysipelas neonatorum non idem morbus.*
2. *Sellis obstetriciis ad partum non opus est.*
3. *Tussis convulsiva ab inflammatione non dependet.*
4. *Resolventia in sensu stricto non existere contendo.*
5. *Acari, qui in pustulis scabiosis reperiuntur, neque pertinent ad scabiem, neque hunc morbum provocant.*